

Nos Gustavus Adolphus, dei gratia svecorum, gothorum, vvandalorumque rex ... Et ut ...



SOT // Utbrutna ligg. fol. extra stort format / Kungl. förordningar

Tillkomstår 1628

Digitaliserad år 2016



National Library
of Sweden

NOS GUSTAVUS ADOLPHUS, DEI GRATIA
SVECORUM, GOTHORUM, VVANDALORUMQUE REX,

Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ & Careliæ, nec non Ingriæ Dominus, &c. Significamus, tenore præsentium, univèrsis & singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse potest, quòd, tametsi à Nobis variæ rationes toto imperij Nostri tempore Polonis propositæ fuerint, reducendæ in hæc septentrionalia regna tranquillitatis; cùm ut cætera pacis studia mutuis hujus Balthici maris accolis redderentur, tùm verò præcipuè ut legitima harum gentium commercia suæ pristinæ libertati assererentur: adeò tamen in pertinacis belli proposito obduruere, ut, quò à Nobis civilius tractati fuerant, eò se iniquiores præbuerint. Et ut cætera prætereantur, unica civitas DANTISCANA, utcunq; tam benignè à Nobis semper habita sit, ut non solùm nihil hostilitatis ipsi accelerare voluerimus, (quod ipsi, ut hosti Nostro subjectæ, & hostilitatem adversum nos de facto sæpiùs professæ, optimo jure facere licuisset) sed etiam optionem dederimus, vel jus amicitia, vel Neutralitatis æquitatem, Nobiscum excolendi: tantùm tamen abest, ut Nobis unquam mutuum præstare voluerit, ut, post tot, tam clementer reiteratæ, oblationis vices, multò quàm antehac vehementiùs, non modò Nostrates subditos, sed & exteros cum ijs negociantes, imò mare ipsum piraticâ classe, infestare ceperit. Quò fit, ut, tametsi per innatam clementiam Nostram difficulter ad asperiora remedia induci soleamus; cùm tamen & communiter & privatim interfit, ut ejusmodi publicæ libertatis turbatores legitimè coërceantur: constituerimus eis omni maris commercio in posterum prohibere; donec videamus, utrum hac viâ ad saniora consilia trahi possint. Nè igitur exteri, ex hujus voluntatis Nostræ ignorance, in aliquod damnum aut periculum incidant, omnes & singulos, cujuscunq; nationis aut conditionis fuerint, hisce præmonitos volumus, ut omni in posterum navigatione Dantiscanâ abstineant, nec illius urbis incolas aliquâ ejusmodi rerum advectione obsint, quæ ad bellicos usus comparatæ, in Nostri & vicinorum præjudicium cedere possint: nisi obnoxij velint esse pœnæ confiscationis, ubicunq; à Nostratibus occupentur. Veruntamen, nè planè omnem vel exteris commerciorum usum, vel Gedanensibus spem respiscendi adimamus: si qui fuerint, qui, pro æqui vectigalis ad Dantiscum pensione, alias eò merces deferre, vel aliquid indè exportare velint: haud gravatim concedemus, ut id liberè faciant; ità tamen, ut eam licentiam & factam vectigalis, ad modum à Nobis pro futuro vere præscribendum, solutionem, vel Nostro ipsius, vel excubantis eo nomine ad portum Dantiscanum Deputatâ Nostri rescripto, ubi necessum fuerit, aut à Nostratibus inveniuntur, docere possint. In quorum omnium fidem, majusq; robur, præsentis manu Nostrâ subscriptas, sigillo Regio communiri jussimus. Actum Stocholmiæ die 12. Januarij Anno M. DC. XXVIII.

Gustavus Adolphus.



endum, totum
cessum fuerit
s manu Nostrâ
III.

quorum
ocholm

Gustavus.

